

volunt. Quæ vero in rebus privatis invidia est, eadem in re communi non potest non esse immanitas. Improbissimū enim hoc est, quod naturæ instituto, consensu gentium, meum non minus quam tuum est, id te ita intercipere, ut ne usum quidem mihi concedas, quo concessio nihilominus id tuum sit, quam antea fuit. Tum vero etiam qui alienis incumbunt, aut communia intercipiunt, certa quadam possessione se tuentur. Quia enim prima, ut diximus, occupatio res proprias fecit, iccirco imaginem quandam domini præfert quamvis injusta detentio. At Lusitanum sicuti terras solemus, sic mare illud impositis prædiis ita undiq; cinxerunt, ut in ipsorum manu esset quos vellent excludere? An vero tantum hoc abest, ut ipsi etiam, cum adversus alios populos mundum dividunt, non ullis limitibus aut natura aut manu positis, sed imaginaria quadam linea se tueantur? quod si recipitur & dimensio talis ad possidendum valet, jamdudum nobis Geometræ terras, Astronomi etiam cælū eriperent. Vbi hinc igitur est ista, sine qua nulla dominia cœperunt, corporis ad corpus adjunctio? Nimirū apparet in nulla re verius dici posse, quod Doctores nostri prodiderūt¹. Mare

C 3

cum

¹ Ioann. Faber ad §. litterum.